



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIII. Gregorii Papae I. Ad Nobiles Sardiniae Insvlæ. Vt diligenter  
inuigilent rusticos a cultu idolorum auertere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

nostrum minime frustrari permittas, quod semper de tuae  
maturitatis habuimus distictione iudicium.

## EPISTOLA XXIII.

## GREGORII PAPÆ I.

## AD NOBILES SARDINIÆ INSVLÆ.

Vt diligenter inuigilent rusticos a cultu idolorum  
auertere.

*Gregorius nobilibus ac posseſoribus in Sardinia insula  
conſtentibus.*

FATRIS & coepiscopi mei Felicis, & filii mei Cyriaci  
serui Dei relatione cognoui, pene omnes vestros ru-  
sticos in vestris possessionibus idololatriæ deditos haberi.  
Et valde hac de re contristatus sum, quia scio quod sub-  
iectorum culpa præpositorum deprimit vitam, & cum in  
subiecto peccatum non corrigitur, in eos qui præfunt sen-  
tentia retorquetur. Vnde, magnifici filii, exhortor, vt om-  
ni cura omniq[ue] solicitudine animarum vestiarum ze-  
lum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo  
de subiectis vestris reddituri estis, aspicite. Ad hoc quippe  
vobis illi commissi sunt, quatenus & ipsi vestrae vtilitati  
valeant ad terrena seruire, & vos per vestram prouiden-  
tiam eorum animabus ea quæ sunt aeterna prospicere. Si  
igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis  
quod debetis? id est, vt assidue illos magnitudo vestra  
commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus,  
eis ad fidem ductis, omnipotentem Dominum erga se pla-  
cabilem faciat. Ecce enim mundum hunc quia vicinus fi-  
nis urget aspicias; quod modo humanus in nos, modo diui-  
nus sequiat gladius videtis; & tamen vos veri Dei cultores  
a commissis vobis lapides adorari conspicias, & tacetis?  
Quid, quæſo, in tremendo iudicio dicturi estis, quando  
hostes Dei & sub potestate vestra suscepistis, & tamen eos  
Deo subdere, atque ad eum reuocare contemnitis? Vnde  
debitum salutationis alloquium soluens peto, vt magnitu-  
do vestra attendere erga zelum Dei vehementer inuigi-  
let, & quis quantos ad Christum perduxerit suis mihi epi-  
stolis indicare festinet. Quod ergo vos agere ex aliqua oc-  
casione forsitan minime valetis, prædicto fratri & coepi-

Z z iii

scopo nostro Felici vel filio meo Cyriaco iniungite, eisque ad opus Dei solatium præbete, vt in remuneratione vitæ tanto possitis esse participes, quanto nunc bono operis solatum præbetis.

## EPISTOLA XXIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD IANVARIVM EPISCOPVM CALARITANVM.

Vt xenodochia ab eo diligenter gubernentur. Item de Epiphanio presbytero. De Paulo clero malefico. De ordinationibus & nuptiis clericorum. De virginibus velandis. De mulieribus a monasteriis egressis.

*Gregorius Ianuario episcopo Calaritano.*

**O**PORTEBAT siquidem fraternitatem tuam ita de rebus piis esse sollicitam, vt nihil ad explendas eas nostris admonitionibus penitus indigeret: tamen quia quædam ad nos peruererunt quæ sunt corrigenda capitula, nihil est incongruum si nostræ quoque vobis pagina auctoritatis accedat. Quamobrem significantur peruenisse ad nos, consuetudinem fuisse, vt xenodochia, quæ sunt in Calaritanis partibus constituta, apud episcopum ciuitatis singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exparent, eius videlicet tuitione atque sollicitudine gubernanda. Quod quia tua hactenus fertur caritas neglexisse, hor tamur, vt, sicut dictum est, tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xenodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subtiliter reddant. Atque tales in eis qui præsint ordinentur, qui vita, moribus atque industria inueniantur esse dignissimi, religiosi dumtaxat, quos vexandi iudices non habeant potestatem: ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint euocare iudicium, vastandarum rerum debilium, quæ illic reiacent, præbeatur occasio: de quibus rebus summam te curam gerere volumus, vt nulli sine tua licentia detur notitia, ne usque ad direptionem earum ex fraternitatis tua perueniatur incuria. Præterea nosti latorem præsentium Epiphanius presbyterum quorumdam sacerdotum literis criminaliter accusatum. Cuius nos, vt valuimus, discutientes causam, nihilque in eo obiectorum reperientes, vt ad locum suum re-

Grat. 5.9.6.  
cap. 4.